



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

26. An si quis pro beneficio obtinendo iniret pactum non rigorosum, sed ex gratitudine, committeret Symoniam? Et alij diversi casus circa Symoniam cursim adducuntur in textu huius resolutionis; sed ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

tribuendo, tanquam motivo, seu pro recompensatione gratuita; & in hoc non committitur simonia: quia in hoc casu datur vel ex gratitudine, vel etiam ex iustitia, non quidem pro re spirituali, ut spiritualis est; sed spectato secundum onerosa suscipitur: & etiam si de prout ex obligatione onerosa suscipitur, non tamen aliquid notabile ultra estimationem laboris, non erit peccatum simoniae, nec iniustitia dando illud plus, quod labor ille non meretur, liberaliter & gratis. Hæc Ghilinus, qui citat Valentiam, & Tannerum, quos ante citavi in par. 2. tract. 2. miscell. resol. 39. ubi licet hanc sententiam speculative probabilem existimavi, tamen in praxi puto non esse amplectendam. Notant etiam aliqui quod si resignes beneficium ea intentione & spe, ut alterum tibi à Superiore conferatur alias non resignaturus, non erit simoniacus, si non intendas obligare Superiorem obligatione alia præter antidotalementa expressè Valentia tom. 2. disp. 6. quæst. 16. par. 3. vers. sunt tamen, cum Soto 97. art. 2. & colligit ex cap. unico, de rerum permutatione, in 6. & consensit Man. Rodrig. tom. 2. sum. cap. 56. n. 8. in fine. Farinacius aliis relatis lib. 1. consil. 75. n. 3. 44. & 48. & 53. post medium, & 62. & n. 82. in fine. Et addit Valentia hoc etiam esse verum, etsi prædictam spem verbis, aut scripto exprimat Superiorem: quia quod licet optare, licet etiam verbis exprimere: & in iure nullibi reperitur prohibitum, ne talis spes exprimat. Quod etiam docet Castus Palaus tom. 3. tract. ult. punct. 4. num. 2. Sed hæc opinio aliquibus non placet, quia in illa videtur adesse pactum implicitum.

RESOL. XXVI.

An si quis pro beneficio obtinendo iniret pactum non rigorosum, sed ex gratitudine, committeret simoniam?

Et alij diversi casus circa simoniam eiusdem adducuntur in textu huius Resolutionis, sed jam omnes magis latè in suis specialibus Resolutionibus pertractati & appositum sunt in hoc ipsemet tractatu.

Et docetur, quod si pro intercessione detur plus, quam valet labor; aut pro beneficio collato, aut presentato plus detur Patrono, quam ratio gratitudinis patitur, neque committi peccatum simoniae, ut est, neque iniustitia, modo illud plus detur liberaliter, & gratis. Ex p. 10. tr. 15. & Misc. 5. Ref. 5.

Hanc questionem ego pluries alibi pertractavi, & quia est difficilis, & quotidiana, iterum nunc de illa erit sermo. Itaque ad quæsitum negativè respondet Rocaful. in Praxi Theol. mor. to. 2. l. 3. de 7. præcept. Decal. cap. 6. n. 980. ubi sic ait: Sed quæres, an liceat volenti obtinere beneficium dicere vel patrono, vel collatori se futurum gratum, vel habiturum gratiam? Respondeo si per hæc verba non inducatur obligatio, sed solum sint verba urbanitatis, quæ ut vulgo dicuntur, non obligant, licet dici. Ita cum Navarr. tenet Villalobos, tract. cum detur 37. distinct. 17. Cui addo si solum iis verbis declaratur quod licet sperare potest collator, vel patronus nullum apparere inconveniens, cur non possit declarari, & per ea verba spem ingenerari, quod enim sperari potest licet, verbis declarari etiam licet potest, imò posset alicui videri, neque iis verbis ullam incurri simoniae labem, quamvis quis intendat per ea se obligare non obligatione civili, neque pacto rigoroso, sed tantum ex pacto latè sumpto, seu ex gratitudine, vel ex pura fidelitate, seu ex decentia, quæ resultat ex eo, quod dixerit se gratum futurum. Ita tenet expressè Gaspar Hurtadus de Iustitia, & iure dispensat. 3. de usura, difficult. 7. & certe grati animi significatio, & exhibitio ju-

Tom. V.

re naturæ debetur benefactoribus, non est autem credibile voluisse Papam prohibere hæc, quæ sic debentur, sed solum, ut his ulterius ex vi pacti rigorosi non addatur obligatio, sed illud non parum juvat. Quid quod expressio ejus quod tacite inest, & tantum modo quo inest non facit rem illicitam rem alioquin, licitam, cap. Significasti de elect. & leg. 3. ff. de lege, at hoc hic contingit, ergo, &c. Neque obstat quod in collatore non sit materia gratitudinis, quia ex officio tenetur id facere, quia sæpè multi concurrunt, & potest vel isti, vel illi confectæ, & quod huic potius conferat quam illi beneficium est respectu ejus, cui confert, unde debet iste in hoc casu gratias agere, sed si libenter, & celeriter facit quis quod debet, non tamen occasionem præbet, ut quis ei gratificetur, certè perfectè gratus hoc non omittit sicut perfectè obediens non solum præceptis, sed & signis, & nutibus voluntati domini parer. Ita Rocaful.

2. Hinc Machadus de perfectio Confessario, tom. 1. l. 3. par. 3. tract. 5. docum. 2. num. 4. sic asserit. [Queda pues dudoso, y controverso si caso que se deduxesse à pacto, y promessa obligacion antidotal de averse da remunerar el agradecimiento, seria simonia: Santo Thomas, y los Autores sienten, que si, y principalmente en los beneficios Ecclesiasticos, en los quales (como hemos dicho) tan rigurosamente prohibe el Derecho qualquiera pacto, y convencion. Si bien algunos sienten lo contrario, fundados, en que conforme al mismo Derecho ne se comete simonia quando en el pacto, que en ella se pone no se contiene, ni declara mas de aquello, que de jure inest. Y en el pacto de que el que recibe el beneficio, sea agradecido, no parece que se pone cosa alguna mas, que lo que en si naturalmente contiene, que es la obligacion de agradecimiento.] Et hanc sententiam docet ex Societate Iesu Pater Escobar, & Mendoza in Theolog. Moral. tract. 5. de exam. 2. capite 6. num. 25. ita asserentes. Est ne simonia. Elige me in Provinciale, & eligam te in

Sup. hoc sup.

in ref. 12.

&c.

Sup. hoc inf.

ad lin. 13. seq.

& in Ref.

ejus not.

Priorem? Non esse affirmant Sanchez quia est permutatio rerum spiritualium inter se. Dare Petro pretium, ut intercedat apud Joannem ut ipse Joannes apud Antonium intercedat beneficij collatorem ut illud conferat: est ne simonia? Vasquez existimat probabile simoniam non esse. Est ne simonia aliquid dare pro labore suscepto eundo, & redeundo ad beneficij collationem, vel in compensationem alicujus damni, quod inde patitur, aut alicujus lucri, quod amittit? Non esse, Suarez asserit. Num liceat de hujusmodi pretio pacisci? Existimo cum Valentia eodem modo, quo licet temporale accipere pro spirituali sine simonia, licere etiam, de hoc ipso pacisci. Hæc Pater Escobar, & nota quod ad secundum dubium ab ipso appositum cum Vasquez idem docet Rocaful. ubi supra numero 983. Quæres ait: An si pecuniam det quis non patrono, sed intercessori apud patronum pro labore intercessionis committat simoniam? Respondeo, & dico Primum, si daret pro labore in eundo, & redeundo ad patronum, aut pro damno emergente, aut lucro cessante, non committit simoniam. Ita Villalobos citatus tractatu 17. Dico secundò, si daret pro intercessione immediata, committere simoniam; si pro intercessione mediata, nempe pro intercessione apud intercessorem immediatum, non committere quia hæc intercessio mediata, & remota est merè temporalis, neque ullo jure humano prohibitum est pro illa dare aliquid, sicut assentior probabile dare pro immediata. Nota verò, quòd si pro intercessione detur plus quam valet labor, aut pro beneficio collato aut presentato plus detur patrono, quam ratio gratitudinis

Sup. hoc sup.

in Ref. 24.

§. ult. &c.

Sup. hoc no-

tato sup. ante

lin. 13. vers.

Dare Petro,

& sup. An

Ref. 22.

Sup. hoc sup.

in Ref. 22. §.

1. prop. fin.

à vers. An sic

&c. & pro

parte, in

princ. dictæ

Ref. &c.

Sup. hoc no-

tato sup. in

Ref. 24. §.

ult. & in alijs

patia ejus ante.

E e

patitur, neque committi peccatum simoniæ ut est, neque iniustitiæ, ut volebat Rodriguez, modo illud plus detur liberaliter, & gratis. Ita Bocaful. Et tandem non deferam hæc apponere verba Fragosi in *Republica*, tom. 2. lib. 5. disp. 13. §. 11. num. 5. sic asserentis: Non est intrinsecè malum per se loquendo petere animum gratum in recipiente donum, vel obsequium, quando aliquid gratis donatur ante receptum donum spirituale, probatur ex D. Thom. 2. 2. *quest. 78. art. 2. ad 3. ibi*, & munus, inquit, ab obsequio, vel à lingua non quâsi ex obligatione rei exhibetur, sed ex benevolentia, quæ sub æstimatione pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expetere, quo in loco agit de usura. Sicut ergo licet hoc debitum exigere quod persolvitur ex gratitudine, & ex benevolentia, ita in materia simoniæ hoc licebit peti sine aliquo vitio, cum teneatur ex naturali obligatione facere quod petitur, hoc est recognoscere naturalem obligationem gratitudinis. Non licebit tamen deducere in pactum antidoralem obligationem, novamque addere promissionem ad illam implendam. Felinus in *cap. ad audientiam. 2. de rescriptis*, num. 10. his verbis: Deducere in pactum obligatorium obligationem antidoralem est simonia, secus ubi sola obligatio naturalis deducitur in pactum eo modo quo debitor est obligatus, quia non videtur illicitum. Ita Felinus quia hoc secundum pactum non est aliud quam pactum ostendendi se gratum, quod licet, neque est pactum novum, sed memoria, seu recordatio beneficii accepti, quæ inest accipienti beneficium. Primum autem pactum cum speciali promissione adimplendi antidoralem obligationem idem reprobatur, quod novam obligationem inducat præter naturalem, & hæc pactio in spiritualibus non est licita, & cum sit pretio æstimabilis, & non inest antidorali obligationi, est illicita, & simoniaca. Ita ille. At aliqua ex supradictis mihi non placent per ea, quæ alibi diximus, & per ea, quæ novissime docet Petrus Marchant. in *Tribun. Sacrament. tom. 3. part. 1. tract. 10. tit. 6. quest. 9. concl. 1. omnino videndus cum Patre Vidali in Arca Theolog. Moral. tit. de simonia, inquisit. 1. num. 34. cum seqq. & circa superius vide alios Doctores penes me ipsum part. 2. tract. 16. resolut. 37. part. 4. tract. 4. resolut. 155. part. 6. tract. 7. resolut. 41. part. 7. tract. 4. resolut. 2. & part. 9. tract. 9. resolut. 35.*

Resolutiones istæ citantur in hoc tract. sunt Ref. 24. 8. 25. 49. & 35.

RESOL. XXVII.

Quis obtinuit beneficium cum promissione dandi magnam pecuniarum quantitatem, quæ sibi a me, an incurreret penas latas à jure contra simoniacos, cum postea pretium non fuerit solutum?

Et quid est dicendum in prædicto casu, si postea post multum temporis, solvat illam summam pecuniarum, quæ vocatur retroractio, an talis incidat in penas simoniacorum? Ex p. 10. tit. 16. & Misc. 6. Ref. 15.

Sup hoc sup. §. 1. **P**rima sententia affirmat docens, collationem, provisionem, seu aliam dispositionem beneficii per simoniam conventionalem factam, esse nullam, & licet etiam si promissio temporalis, seu conventio, & pacta non sint executæ. Itaque ad effectum nullitatis tituli, seu provisionis non est necessarium implementum ex parte promittentis temporale. Quæ sententia expresse probatur per text. in *d. cap. ea que*, l. 9. 3. ubi Viban. II. in Concil. Placen. sic ait: Ea quæ à sanctis patribus de simoniaco statuta sunt, nos quoque, & iudicio S. Spiritus, & Apostolica autoritate firmamus. Quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in

Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia, acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus. Vide etiam *cap. cum Clerici de pactis & cap. nobis. De simonia*, & constitutionem Pij V. incipientem. Cum primum. Ex quibus omnibus apparet ad effectum privationis ipso jure beneficii, & nullitatem provisionis beneficium simoniaco fuisse acquisitum, quod satis verificatur, etiam si promissio rei temporalis, seu conventio, non sit exequuta, & completa, ut patet, quia non datur gratis, & liberè. Et simonia inducitur, & causatur ex sola promissione, Abbas in *d. cap. nobis*, num. 3. & ibi Felinus num. 2. Lambertus, de jure patronatus l. parte 2. lib. quest. 9. artic. 11. & 2. part. 2. lib. quest. 9. artic. 3. num. 8. & Flamin. Paris. d. lib. 14. quest. 7. a numero 31. Adde quia emptio & venditio videtur perfecta, si res tradatur etiam si pretium nondum sit solutum. Et ita hanc sententiam tenent plures Auctores, quos citat, & sequitur Garzias de beneficiis, tom. 2. parte 8. cap. 26. num. 28. Sed idem Garzias ibidem numero 19. pro negativa sententia adducit 28. Doctores magni nominis, inter quos adfuit Navarrus, Covarruvias, Gutierrez, Lessius, Avila, Bovius, Suar, Ledesma, & alij, asserentes, quod nulla simonia conventionalis, excepta ea, quæ confidentialis dicitur, inducat ipso facto ullas penas juris positivi. Probat hæc opinio, quia etsi forte ex rigore juris videantur hæc penas contrahi per simoniam conventionalem, etiam neutra ex parte completam; (eo quod ad substantiam contractus emptionis, & venditionis, sufficit conventio, seu pactum; quia consensu perficitur) tamen juxta stylum Curie Romanæ non censetur incurse, nisi per simoniam realem utrimque completam. ut testatur Navarrus, non obstante Bulla Pij V. hæc de re edita, quæ non videtur fuisse recepta. Cujus ratio esse videtur, quod penas (præsertim graves, & quæ ipso facto incurruntur) quantum fieri possent, sunt restringendæ, ac proinde penas constitutæ iis, qui spiritualia emunt, aut vendunt, restringendæ sunt ad emptionem, & venditionem completam, nisi expresse contrarium significetur, lex enim puniens aliquem actum, censenda est punire actum completum. Confirmatur Extravag. *Cum detestabile*, de simonia, ubi hæc penas non statuuntur, nisi in eos, qui conventionem facta quomodolibet dando, vel accipiendo, simoniam commiserunt.

2. Quod ego sentiam dicam breviter. Opinio affirmativa videtur mihi probabilior, & illi ego adhæreo; negativam tamen existimo probabilem, & tutam in praxi, ut illam æstimat Castrus Palans tom. 3. tract. 17. disp. 3. punct. 22. num. 6. & illam præter Doctores citatos tenet etiam Villalobos, in *Summa* tom. 1. tract. 57. diff. 37. num. 3. vide etiam Machad. tom. 1. lib. 3. part. 3. tract. 3. diff. 5. num. 8. Petrum Navarra, de *Ref. lib. 2. cap. 2. num. 428*. Sed his positis, difficultas est an consequens beneficium, sub promissione pecuniæ, & illam post multum temporis solvens incidat taliter in penas simoniacorum, ut ipsæ penas censentur incurse quoad omnes suos effectus, quæ vocatur retroractio? Affirmat Lessius *cap. 35. d. 27. num. 151*. ubi sic ait: Si simoniaca pactio utrimque in totum, vel in partem completa fuerit, incurruntur penas, & retroractio hinc ad tempus pactiois, v. g. collator convenit cum Petro 100. aureis de dando illi beneficio, & statim illud contulit; sed Petrus nondum solvit pecuniam promissam: nondum incurrunt penas juris, nec collatio est irrita. Si tamen postea, etiam post menses, vel annos Petrus solverit, jam incurrit censuram excommunicatio ab utroque, & inhabilitas à Petro ab initio contractus, & contractus censetur ab initio